DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
SISTENS
CASUM SINGULAREM
CARCINOMATIS UTERI
CUM
GRAVIDITATE CONJUNCTI,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA FRIDERICA GUILELMA,
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS,
DIE XXIII. M. DECEMBRIS A. MDCCCXXVIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR
BERTRAMUS ZEPPENFELD,
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:
J. LICHTSCHLAG, MED. ET CHIR. DR.,
J. MICHELS, MED. ET CHIR. CAND.,
E. WESENER, STUD. PHILOLOGIAE.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

Quae Medicamenta non sanant, ferrum sanat.

HIPPOCRATES.

MANIBUS

PATRIS CARISSIMI

DEFUNCTI

HASCE

LITERARUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VULT

FILIUS, AUCTOR.

PROOEMIUM.

Cum quadriennio absoluto finis immineret studiorum, et in eo essem, ut publicas de his redderem rationes, diu anceps haesitavi, quam eligerem materiam. In quovis medicinae campo multa quidem supersunt digna, quae propius tractentur atque illustrentur, nos autem juvenes, peregrini fere et novi hospites, nil ullius momenti praestare possumus, cum omni experientia careamus, quae tamen nusquam magis valeat, quam in arte nostra. Tamen casum propositum, omnium cognitione non plane indignum, habeo, praesertim, cum, quantum ego scio, hi casus rarius occurrant, scilicet de *carcinomate uteri cum graviditate conjuncto.*

Equidem aestimo, multos mirari, quid sit, quod ego me ad scribendum de re tam gravi contulerim, cum jam omni aetate viri ingeniosissimi atque doctissimi sese contenderint, definitionem veramque naturam scirrhi et carcinomatis statuere. Tantum abest, ut novam definitio-

nem novamque theoriam de hoc morbo proponam, ut potius casum propositum, qui revera paulo ante in Xenodochio nostro occurrit, monitore doctissimo Dr. *Ed. de Siebold*, enarrem.

Etsi initio hujus dissertationis de natura, origine scirrhi et carcinomatis extensius opiniones plurium doctissimorum virorum comparo, cave tamen credas, me illorum opiniones refutare, inevitabile enim hoc esse puto, si plene hanc materiam tractare volo.

Parce vitiis, L. B. faveque auctori. Quae praesenti opusculo desunt, suppleat aetas; non enim differendum est tirocinium in senectutem.

De hoc persuasus fortiter ad rem aggressus est et pro viribus materiam electam elaboravit

AUCTOR.

§. I.

Quamvis ad naturam rei pertineat, indolem atque structuram alicujus organi scire, ut cognoscamus ejus functiones physiologicas, tamen maxime necessarium est, nullam viam nullumque refutare subsidium, quibus ad verum judicium de indole ejus et structura perducamur, ut de morbis ejus recte judicare possimus. Quam ob causam propositum mihi est, de structura uteri, ad quam praesertim hic casus describendus spectat, dicere, ut de natura et indole hujus morbi, ejus curatione, quantum fieri potest, clare et perspicue disseram.

§. II.

Nova de hoc proponere mihi in animo esse nequit, sed auctoritate plurium celeberrimorum virorum nixus, quibus equidem plene consentio, describam rem quatenus sequentia hujus opusculi sibi poscunt. Opinione antiquorum, partim et recentiorum, uterus fibris muscularibus exstructus est, quarum ope manifestationes periodicas et activas et passivas exercet, quas nominarunt „Semimusculos." Cum vero anatomia altiorem occupasset gradum, plurimis viris celeberrimis curae erat, occulta pro viribus detegere; eorumque inquisitiones ostenderunt, uterum musculis non esse extructum, sed componi textu

celluloso [1]), vasis sanguiferis, lymphaticis, nervis et fibris singularibus cum fibris [2]) arteriarum comparandis. Textu celluloso maxima uteri pars continetur, qui in virginibus densissimus invenitur, magnamque vim habet elasticam. Vasa sanguifera, et quidem arterias permultas, recipit, quo locupletissimum sanguinis fit organon.

Praecipuae sunt: Arteria uterina, ad utrumque latus, ex arteria umbilicali, alios ramos descendentes ad cervicem, alios inter lamina ligamenti lati ad corpus fundumque uteri mittit. Arteria spermatica interna ramos ad partem lateralem superiorem uteri mittit et connexa est cum uterina. Arteria spermatica externa, ramus arteriae epigastricae, cum ligamento rotundo in substantiam uteri transit. Quae arteriae omnes inter sese cohaerent, serpentinam formam imitantur, ita, ut quam maximam pati possint extensionem.

Venae eandem viam retro petunt. Venae spermaticae internae componunt plexum pampiniformem, vena spermatica externa in venam epigastricam transit. Plexus uterinus magnum est rete, in quo vena uterina maxima. Omnes inter sese connexae sunt, eandem formam serpentinam arteriarum imitatae, omnino uterum amplectuntur. — Vasa lymphatica ex parynchimate uteri ortum capiunt. Plexus uterinus omnium maximus in plexum hypogastricum, plexus spermaticus externus cum ligamento lato, in plexum cruralem abit. —

Nervi partim e plexu renali, mesenterico superiore, nervo sympathico maximo, partim e plexu hypogastrico et nervis cruralibus ortum capiunt.

---

[1]) Conf. *Walter* de morbis peritonaei et apoplexia. Berol. 1785. 4. tab. 12. p. 24.

[2]) Conf. *Rudolphi* Physiologie. 1. Bd. 98. Not. p. 89.

Peritonaeum circumdat uterum totum, segmento inferiori excepto, plures plicas atque duplicaturas gignit, quibus ligamenta continentur. —

§. III.

Organon, cujus structuram priori § descripsi, corpori mulieris gravissimum esse, nemo medicorum unquam negavit; plurimorumque corpus muliebre invadentium malorum fontem esse constat. Tria praesertim sunt stadia vitae mulieris, quae contemplemur, necesse est, quia germen in se ferant malorum:

1) stadium a partu usque ad pubertatem, scil. mensium fluxum.
2) A pubertate ad tempus mensium cessantium.
3) Stadium decrepititatis, a tempore mensium cessantium usque ad mortem.

Prima juventute nullum discrimen inter utrumque sexum observatur, nisi genitalium; organorum teneritatem, vitam vegetativam in utroque videmus eandem; morbis iisdem invaduntur. Num animi adsit discrimen? Nonnulli quidem contenderunt, solummodo hocce esse derivandum ex educatione. Equidem novi gemellos diversi sexus, qui eadem gavisi sint educatione diligenti, sed quam maximum animi adest discrimen. Equidem puto quoad animum certe differri. Puer animi agilis, petulantis, ferocis, nullum timet periculum, quo majus ei videtur, eo libentius et audacius adit, nil altum, nil profundum ei, nil sublime. Puella contra timida, modesta, mobilis, munditiem magis curans puero, et si coram ea puer adeat periculum, ne damnum ei afferatur metuens, orare non desinit, donec obsequatur.

§. IV.

Quo magis aetate procedunt, eo magis et ani-

mo et negotiis et habitu discedunt. Juvenis ad pubertatem progressus formae atque habitui viri nobilissimo sese propinquat et corpore et animo puellam longe praecedit. Omnes partes corporis perfectiori cultu splendent, barba, virorum decus, circumvestit mentum, vox gravior et virilior, musculi solidiores. Famam intendere factis viri opus. Mulier vero ad pubertatem progressa, initio jam multis magnisque vitam suam adeo minantibus molestiis conflictatur. Uterus, hucusque organon omni functione propria carens, sine ulla cum caeteris organis conjunctione, infimum vitae occupans gradum, nunc vitam degere coepit activam. Copia vasorum augetur, indeque color mutatur. Cum caetero organismo intime connexus, eum afficit et vicissim ab eo afficitur et non solum in hunc [1]), sed etiam in animi functiones magnam vim exhibet. Ex hoc tempore sedes fit secretionis propriae, sanguinis menstrui, quae hanc periodum vitae mulieris indicat. Et sane! gravissima est et periculosa. A praesentia aut absentia menstruorum tota dependet mulieris vita futura. Causam proximam utilitatemque mensium exponere, nobis in mente esse nequit, sed tantum de iis dicamus [2]), ad conceptionem, ob quam mulier creata est, necessarios esse. Hoc vitae stadium in partes quasdem dividi, quisque intelliget. Virgo hucusque aetate progressa actui conceptionis partusque molesti, nutritioni infantis, officiisque ma-

[1]) *Fr. B. Osiander* über die Entwickelungs-Krankheiten in den Blüthejahren des weiblichen Geschlechts. Tübing. 1820—21. Conf. *Henke* Lehrbuch der gerichtlichen Medicin. §. 287 et 288.

[2]) Factum quidem est, ut mulieres omnino menstruis carentes, conceperint, quod autem, rarius quia accidat, pro exceptione habendum. Conf. *El. de Siebold* Frauenzimmer-Krankheiten 1. Bd. p. 46 et 47.

tris satisfacere potest. Magnis eam hoc tempore conflictari periculis, praesertim si juventute variis ac multis laboraverit morbis, multorumque causam malorum ab hinc esse quaerendam, patet. Non vero omnibus mulieribus contingit fortuna, ut percipiant gaudia matris, quod quibus non contingit, parata est miserrima vita, quippe quae magnis doloribus vexentur, nec non saepe conscientiae morsu crucientur, quod dies perdiderint; natura enim ultrix severa et justa.

§. V.

Nunc mulier propagationis opus consumavit, menstrua sese subducunt et cum hoc stadio decrepititatis sterilitas incipit. Cutis ante adipe pulvino tecta, nunc laxa, rugosa, labia pudenda vanescunt, uterus minor in longitudinem sese magis extendit, excedit ex communicatione cum caetero organismo; vasa eum iterum relinquunt, iterumque sine functione propria, vix ei conservationis suae vis inest, onus mechanicum, molestum organismo adhaeret. Hoc disponitur ad varios morbos periculosos, prolapsus, retroversionem, degenerationes, quibus praesertim scirrhosa adnumeranda. Mammae quoque mutantur, collabuntur, evanescunt, explanantur, formamque thoracis virilis prae se ferunt.

Cum his mutationibus corporis animus quoque mutetur necesse est. Morosae, stomachosae, diffidentes, dominandi cupidae, garrulae sunt. Haec animi pathemata non minus ad dispositiones morborum morbumque ipsum conferunt, quem explanare mihi in animo est.

§. VI.

Haec omnia praemitti, necesse fuit, ut de causis, origine et natura scirrhi et carcinomatis perspicue dissereremus. Antiquissimis medicis certe jam no-

tum fuit terribile hoc malum; et tamen, quod mirandum est, hucusque tam densis tenebris natura ejus obvelatur [1]), ut omnes auctores ingeniosissimi in tam diversas abierint opiniones; quas omnes probare, comparare limites hujus opusculi non permittunt. Difficillimum ergo aestimandum, summam universamque statuere notionem de scirrho. Quisque facile intelliget, definitionem scirrhi, quam fere omnes Pathologi statuerint, scil. esse tumorem durum, indolentem glandulosis partibus insitum, minime sufficere. Durities enim non semper adest in scirrho et in aliis tumoribus non scirrhosis durities summa; glandulosas partes occupet, minime necesse est, sed quaevis pars mollis sedes scirrhi esse potest, e. g. uterus. Definitio scirrhi haec mihi videtur optima, etsi non omnia amplectens, aut omni casui apta: est tumor indolens, durus, inaequalis partium mollium, chronicum observans decursum cum proclivitate in carcinoma abeundi. Scirrhus uteri ergo est tumor indolens perdurus inaequalis, cervici atque portioni vaginali solito insidens, cum proclivitate in carcinoma abeundi et tunc cum frequenti haemorrhagia, magnis doloribus, effluxuque male olentis et corrodentis ichoris conjunctus.

§. VII.

Cum difficile sit, tumorem scirrhosum a non scirrhoso partis oculis nostris non celatae bene distinguere, difficilius certe aestimanda est cognitio scirrhi partis interne absconditae. Ne autem nos cognitio ejusmodi partis scirrhi fugiat, nullam viam nullumque subsidium refutare licet; similes indura-

---

[1]) Conf. *Richter* Bibliothecam chirurgicam; *Bell, Graskuis, Wenzel.*

tiones aliarum partium investigemus, nec explorationem internam et externam, aut signa, quae cum hoc malo conjuncta esse solent, negligamus. Praesertim tria notanda sunt stadia in scirrho uteri, quae illustrare juvabit.

Stadium primum, *scirrhus incipiens.* Plerumque hoc stadio cognitio nos fugit, praesertim, quia aegrae tunc opem medici implorare soleant, si jam secundum morbi stadium apparuerit. Initium hujus morbi dolor quidam modo punctorius, modo obtusus nobis designat. De sensu plenitudinis et gravitatis conqueruntur aegrotae. Retentionem urinae observamus, quamquam semper nisus mittendae urinae adest. Fluxus mensium enormis, aut copiosus aut parcus, aut tandem omnino deest et ejus locum fluor albus chronicus occupat, aut tantum intervalla explet. Alvus modo obstructa modo soluta. Omnino scirrhus hoc stadio non majores molestias adfert, quam fluor albus vulgaris. Exploratio externa parum nobis ostendit, ni scirrhus fundum uteri occupat; nec magis interna; tantummodo paulo duriorem portionem vaginalem, quae apud mulieres jam enixas magis minusve aperta est, in mulieribus nondum graviditatis orificium uteri solito rotundum opertumque invenitur. In his plures per annos sine ullis molestiis, nisi potentiae nocentes inseruntur, latere potest. Si vero scirrhus fundum uteri arripuerit, portio vaginalis nullam tibi ostendat mutationem, tum praesertim, cum multae magnaeque metrorrhagiae causa sunt; etiam in stadio carcinomatis fallere potest, ut medicus credat non adesse scirrhum.

Stadium secundum. Uti jam supra diximus, hoc stadio aegrae opem medici implorare solent. Omnia symptomata nunc augentur, ponderis sen-

sus in pelvi ab aegris accusatur, doloribus nunc cruciantur, fluxus mensium cum fluore albo alternat, et ex hoc tempore conditionem suam malam, quin periculum praesagiant, cognoscunt. Signa consensualia permulta hoc stadium comitantur; permagna macie conficiuntur ex digestione et inde nutritione laesa. Vomitus saepius redit. In exploratione externa abdomen tensius sentitur, praesertim si scirrhus fundum uteri occupat. Exploratione interna et coitu dolores valde augentur, quibus finitis etiam perdurant. Genitalia externa tument. Portionem vaginalem durissimam, inaequaliter laceratam et dolorosam esse animadvertitur. Per rectum exploratio instituta uterum nobis praebet massam duram; rectum interdum angustius, tuberculis haemorrhoidalibus obstructum est, quorum causa in circulatione turbata quaerenda. Sanies e vagina tenuissima effluit odoremque foetidissimum spargit, etiam fluxus mensium, si nondum cessit, male olet; quod etiam interdum primo stadio observatur. Sanies partes vicinas arrodit. Affectiones hystericae, systema nervosum affectum esse, indicant. At deficiente malo odore ne inducatur medicus ad male cognoscendam morbi naturam [1]), nam accidit, ut ne minimus quidem odor adsit, itaque effluvium sese habeat, uti fluor albus chronicus habitualis.

Stadium tertium. Doloribus dirissimis cruciantur miserae sine intermissione, nec non dolores in urinam mittendo coitumque exercendo perdurant, qui pelvis regionem perstringunt. Vespertino tempore valde augentur, somnum interrumpunt. Reproductio valde turbatur, desiderium ciborum om-

---

[1]) Conf. *El. de Siebold* Frauenzimmer-Krankheiten, Bd. 1. p. 632. et *Ed. de Siebold*, Dissert. de carcinomate uteri p. 18. Not. 5.

nino deest, vomituritio vomitusque ipse vexant aegras. Oedemate, paralysi aut paresi extremitatum inferiorum affectae sunt. Color viridis, flavus, leucophlegmaticus faciem obtegit. Partes vicinae, vagina vesica urinaria [1]), rectum, rarius etiam colon [2]), corroduntur, ulcera carcinomatosa in pelvis cavo, ossium caries gignuntur. Colliquationes, febris lenta; effluxus ichoris sanguine mixti, cum doloribus augentur. Saepissime partes excrescentiarum uteri elabuntur, observatum imo est [3]), totum uterum solutum et elapsum esse.

Exploratio interna hoc stadio instituta, partes tali modo corrosas tibi ostendet, ut vix possint distingui.

§. VIII.

Omnia, quae congestionem sanguinis augent, et inter haec praesertim inflammatio uteri, indeque stasis humorum, depositio lymphae plasticae, ad quam structura hujus organi multum adjuvat, causa proxima hujus mali terribilis accusanda sunt. Duplici autem modo inflammatio apparet, modo arteriosa, modo venosa. Arteriosa inflammatio rarius occurrit et non magnam ostendit proclivitatem in scirrhum abeundi, sed potius abscessus, hydrops, gangraena eam sequuntur. Venosa inflammatio, ad quam uterus ob structuram spongiosam et cellulosam jam propensus est, facilius indurationem adducit.

Si vitam mulieris a pubertate usque ad stadium decrepititatis illustremus, multas inveniemus occasi-

---

[1]) In collectione Cel. *El. de Siebold* praestans ejusmodi exemplar reservatur, casusque a nobis adhuc narrandus de eodem testatur.

[2]) Conf. *Hufeland's* Journal der praktischen Heilkunde Bd. IX. St. p. 164.

[3]) Conf. *El. de Siebold* l. c. Bd. 1. p. 635.

ones et situationes causam hujus morbi continentes. Ad causas praedisponentes numeranda sunt:

Constitutio tenera, laxa, debilis vel congenita, vel morbis acquisita [1]). Etsi haereditaria quaedam dispositio nondum satis demonstrata est, tamen non omnino neganda est. Imprimis habitus scrofulosus ad hunc morbum praedisponit et scirrhus inde ortus glandulosi speciem prae se fert. Ex hoc optime elucet, scirrhum non semper esse morbum localem, qui extirpatione partium affectarum possit sanari, sed toti constitutioni ita insidere, ut uno loco degeneratione scirrhosa resecta altero iterum appareat.

Porro non solum affectus debilitantes, moeror, tristitia, solicitudo, amor infelix, usus veneris frustraneus, haemorrhagiae copiosae, lochia suppressa, venus denegata, quam ob causam [2]) moeniales hoc morbo frequentissime corripiuntur, uti jam supra §. IV. diximus, ad hunc morbum conferunt, — sed etiam incitantes nocent: abusus veneris, vita nimis lauta, luxoriosa, sedentaria accusanda sunt.

Causae occasionales permultae occurrunt:

Praeceps suppressio mensium aut lochiorum ex refrigeratione inter has praesertim nominanda est [3]). Tractatio rudis in partu, laesiones uteri manu aut instrumentis infectae; pessaria male conformata et imperita manu applicata. Injectiones adstringentes ad uteri haemorrhagiam sistendam incaute adhibitae,

---

[1]) Conf. casum narratum de uteri inflammatione in dissertatione a *Boettcher*.

[2]) Vide Observationes *Dionis* in itinere suo per Galliae provincias. Idem *Vesalius* testatur chir. magna lib. V. cap. 16.

[3]) Conf. *Mauriceau* observations sur la grossesse et sur maladies des femmes. Observat. 387 et 418.

tae, virus syphiliticum. Coitus praecox et violentus, si membrum virile normalem magnitudinem excedat, separatio violenta placentae, praesertim praeviae. Masturbatio, imprimis instrumento violento duro rudique manu exercita, quam maxime accusanda est, cum non solum mechanicum effectum exhibeat, sed etiam systema nervosum et sanguiferum excitet.

§. IX.

Imago hujus morbi tristissimi descripta quam pessimam praebet prognosin. Miserrimam mortem patiuntur plurimae, nec ullo remedio reservari possunt. Opem medici potissimum eo Stadio implorant, quo jam tantos fecerit progressus scirrhus, ut vix leniri possit aegrae status. Primo stadio prognosis melior. Scirrhus ex causa syphilitica genitus facilius curatur, quod jam *Frank* proponit. Non solum conjunctiones uteri cum aliis organis terribile hoc malum adjuvant et accelerant, sed etiam situs uteri absconditus remediorum usum et effectum quam maxime impedit. Quo major pars uteri arrepta est, eo pejor prognosis et si partes vicinae, rectum, vesica urinaria, sint corrosae, nulla spes remanet vitae.

Si dispositio adsit haereditaria, congenita, raro ex arte nostra salus speranda est. Carcinoma vero apertum, febris lenta perdurans, sudores nocturni, diarrhoea nunquam cessans, sanguinis corrupti aut ichoris odor foetidissimus, haemorrhagiae, convulsiones, pessima sunt signa et mortem praesagiunt certissimam.

Ex extirpatione tunc solum salus speranda est, si nec dispositio congenita haereditaria adsit, nec nimis jam increverit malum.

§. X.

Priusquam ad curationem hujus morbi transeamus, nonnulla tamen de complicatione cum graviditate adjiciamus. Prima quae nobis occurrit quaestio est: num conceptio persistente scirrho fieri potest?

Si ad mali hujus originem regredimur considerantes, quantulas molestias initio id efficiat et quam parvam uteri partem invadat, cur non fieri possit, ut concipiat mulier crescatque foetus, intelligendum non est. Primo graviditatis tempore mirum est, quantopere corpus animusque concitetur, uteri receptivitas augeatur, ut hominis germen servetur et excolatur. Omnis vis reproductiva matris excolendo ei adhibetur, ita ut ipsae morbosae secretiones sistant, unde fit, ut incipiens scirrhus uteri graviditatis tempore jam non longius progrediatur, atque adeo, qui omnibus remediis restitisset, ea ipsa consanaverit. Optime id manifestum datur in phthisi. Major autem admiratio incedat nos de eo, quod secundo scirrhi stadio [1]), imo summe diruto utero graviditas et plene maturus venter produci possit; quod obervationes *El. de Siebold* [2]), *Sommeri* [3]), *Boëri* [4]), confirmant. Videtur itaque integer uterus non tam ad concipiendum fructum desiderari, quam integra ovaria. Huc accedit, quod in iis, qui scirrho uteri laborant [5]), instinctus sexus saepissime adauctus est.

---

1) Conf. *El. de Siebold* Frauenzimmer-Krankheiten Bd. 1. p. 624. Anmerk.

2) Ejusdem Journal für Geburtshülfe und Frauenzimmer-Krankheiten. Bd. III. St. 1. p. 49. sq.

3) *Stark's* Archiv, Bd. III. St. 3. p. 288.

4) *Boër* Abhandlungen und Versuche geburtshülflichen Inhalts.

5) *El. de Siebold* l. c. p. 58. Anmerk.

§. XI.

Cognitionem graviditatis, si scirrhus adsit, perdifficilem esse, nemo non videt; praesertim cum morbus jam eo processerit, ut ad stadium secundum pervenerit incesseritque in portionem vaginalem. Omnia graviditatis indicia per se jam incerta, sive omnino evanescunt, sive temere pro morbi affectibus habentur. Acute adhibitum examen, num coitus hoc tempore celebratus sit; et ne minimum quidem refutandum, quod cognitionem adjuvat et certam reddere potest. Imprimis autem inquisitio externa hanc ambiguitatem saepe explicat, ut in casu, quem nos proponimus, ubi scirrhus tantopere jam increbruerat, ut nil quidem discerni posset, contra quae foetus pars distincte per integumenta externa contrectari poterat. Siquidem scirrhus invasit in uteri fundum, acute adhibita inquisitione interna ad certum perveniri potest. Nunquam, si occurrant ejusmodi casus, graviditatem adesse posse, obliviscatur medicus, quod jam satis experientia docuit, ut § priore diximus et auctores doctissimos nominavimus et casus a nobis describendus huc spectat.

§. XII.

Curationem hujus mali terribilis duplici via tentarunt medici, remediis scil. internis et externe applicatis. Primum nostrum est removere causas. In primo morbi stadio methodus antiphlogistica plurimis in casibus indicationibus respondet. Venaesectionem, Hirudines, Nitrum, Cremorem tartari; inunctiones, injectiones, semper tamen statui aegrae indolique morbi accommodatas, eligamus, praesertim si inflammatio est acuta. In inflammatione sic dicta chronica mercurius dulcis praestantissimum remedium; inunctiones ex unguento hydrargyri cine-

reo in regione pubis, injectiones e cicuta hirudinesque ad dolores mitigandos.

Regimen atque diaeta reguletur, vitam degat aegra laboriosam, nec motionem corporis negligat animumque sibi conservet hilarem; itinera faciat; diaeta sit tenuis, vegetabilibus magis constans. Syphilis, arthritis et scrophulosis suam postulant curationem, aeque ac vitia menstruorum. Omnia externa nocentia amoveantur, uterus prolapsus, retroversus reponatur; pessaria omnino rejicienda sunt.

Si secundum apparuerit stadium, ars nostra jam minus valet. Multa quidem remedia laudata sunt, sed plurimis in casibus spem vanam reddiderunt. Praecipua sunt: Radix sassaparillae, cicuta vel conium maculatum, calendula, belladonna, aqua laurocerasi, aqua calcis, sabina, mercurius, arsenicum. Recentiori tempore commendarunt *Christien* et *Westring* Aurum suboxydatum, forma pellularum et inunctionis; ille grani dimidium usque ad grana quatuor, hic grani $\frac{1}{4}$ usque ad granum unum; *Westring* etiam auri oxydato-ammoniati gr. $\frac{1}{12}$ cum amylo bis per diem inungendi in labia pudenda probavit.

Si scirrhus in carcinoma transierit, curatio tantum palliativa esse potest; nulla salus ex arte speranda, totus organismus mali particeps est. Maxime nunc nostrum est, sublevare aegrotarum vires, dolores vehementissimos mitigare. Munditiem curemus, ne partes vicinae arrodantur, purgemusque ulcus carcinomatosum, ut minuatur effluxus, injectiones e cicuta, daucorum succo expresso, nucum juglandum, decocto chinae cum tinctura opii adhibendae sunt. Ad vires sustentandas praesertim cortex peruvianus adjuvat, diaeta nutriens. Lenimentum maxime adferens remedium est opium purum,

gr. I—II pro dosi; aut tinctura thebaica guttas XV p. d., ne somnum interrumpatur, pulv. *Doweri.* Cavendum tamen est, ne opium obstructionem alvi adducat, et oleum Ricini interponendum est. Vomitus chronicus hyosciamo, opio compescitur. Haemorrhagias contineamus situ horizontali, elix. acid. *Hall.* tinct. opii et cinamomi, spongiis, aluminis et gummi arab. solutione infectis, in vaginam applicatis

Sed inevitabilem ad mortem grassantur et artis nostrae confitenda est impotentia.

§. XIII.

Brevi etiam extirpationem uteri probemus. Priusquam tamen de extirpatione dicamus, quaestio nobis occurrit, num quemvis scirrhum aut carcinoma quodque extirpatione absolute removeri liceat. Pro parte jam de hoc §. IX. diximus. Hic vero locus mihi videtur aptus esse, quo longius indicationes et contraindicationes perpendamus. Scirrhus duplicis est generis, aut idiopathicus, aut sympathicus, localis aut toti constitutioni inhaerens; duplicique modo scirrhus fieri potest, transiens aut ab idiopathico ad sympathicum, aut a sympathico ad idiopathicum; aeque ac in ulceribus venereis. Ex hac duplici ratione operationis dependet eventus et scirrhus idiopathicus tantum extirpando sanari potest. Difficillima autem aestimanda hujus cognitio, cum symptomata ejus positiva omnino desint et tantum ex negativis, quae sunt symptomata scirrhi sympathici, prodeant. Quae autem sunt: Dispositio haereditaria, si partes vicinae, glandulae axillares aut mammae simul sint affectae; si adsit lippitudo et scirrhus non ex causa traumatica ortum ceperit. Interdum etiam exanthema proprium, coloris rubri, lentiforme, paene pellucidum observatum est; quod signum scirrhi sympathici dicitur. Pauci existunt

casus, qui faustum habuerint exitum. De extirpatione partiali sermo non est, cum parum afferat utilitatis et redeat saepissime malum.

Extirpatio totalis recentissimo tempore a *Langenbeck, El. de Siebold, Sauter* exercita est, omnes autem videre exitum infaustum; uno casu excepto, quem *Langenbeck* narravit, in quo autem prolapsus uteri aderat. Omnes per vaginam extirpationem perfecerunt; *Langenbeck* semel, regulas sectionis caesareae sequens, per integumenta abdominis. Omnes prolapsum uteri exoptant et *Osiander* [1]) conciliavit, si non adesset prolapsus, artificialem perficere.

Exitus solito lethalis ab inde pendet, ut aegrae tunc prius operationem postulent, si omnia alia remedia frustranea videant et stadium tertium jam apparuerit totusque organismus particeps sit mali. Huc accedit, ut uterus nervorum vasorumque sanguiferorum locupletissimum sit organon, quorum laesio periculosissima ob haemorrhagiam internam, nullo modo sistendam. Peritonitis invadit aegras, nihilo supprimenda, totus apparatus antiphlogisticus, remediaque nil efficiunt. Excitantia, *Moschus*, aegram eo citius ad mortem perducunt. Feliciter etiam peracta extirpatione, quis est, qui contendat, nunquam hoc malum redire?

Cura palliativa therapeutica primum semper tenebit locum, cum ex operatione non modo non videamus salutem, sed potius ea mortem celerius adducamus.

§. XIV.

Nunc nil obstat, quin lectoribus casum, quem observare mihi in regio instituto, directore *Ed. de Siebold* contigit, proferam.

Carolina F., aurigae uxor, quatuor et triginta

---

[1]) Conf. *El. de Siebold* Frauenzimmer-Krankheit. p. 680.

annos nata, primae aetatis annos prorsum sana peregit. Menses leviter sine molestiis apparuerunt quatuordecim annos natae; trium dierum typum habuerunt redieruntque recte quarta quavis hebdomate. Nupta anno vicesimo quinto statim concepit; praegnans optime se habuit et pospere; sine omni adjumento artis parturiit. At tempus puerperis justum non observavit, sed aliquot dies post partum, ut in sueta officia incumberet, lecto surrexit, nescio, an nimia de victu cura deficientibusque, qui eam satis sustinerent ac foverent. Infanti ipsa praebuit mammas, ex quo nil cepit molestiae, eoque lacte depulso menstrua adfuerunt recta, nisi ut nunc quarto et decimo quovis die redierint. Hinc consequi videtur, ut jam tum systema ejus genitalium male mutatum fuerit, cujus causam probabiliter quaeras in eo, quod a partu prius quam aequum lecto surrexerit, quo functiones puerperii, mulieri gravissimae, turbatae sint. Non multo post iterum graviditata, aeque leviter prospereque peperit, nec post hunc partum quidem puerperae statui sese accommodavit perque novem menses tres liberos lactavit. Ipsa, hoc sibi magnum detrimentum intulerit, necesse esse, intellexit, quippe quae per id tempus languide lasseque sese habuerit, facile intellectu reputanti, quantas molestias unus puer lactens matri inferat. Menstrua postea redeuntia, aeque ac post primum partum aegrotare perrexerunt. Profluvium sanguinis magis magisque auctum, circiter festum natale Christi anni praeterlapsi, eo processerat, ut auxilium ex medicis quaerere cogeretur; qui id remediis solitis coarctare studebant. At vehementia integra rediit misereque patientem quam maxime confecit.

Sequuntur ex hac historia tria gravia momenta, quae cognitionem morbi nobis levant:

a) Turbatio functionis puerperii,
b) Quae ea verisimile effecta est menstruorum profusa quantitas.
c) Nimis magna et veluti exorta lactis secretio.

Quid tamen maxime accuses, difficile judicatu, quum omnia organismo mulieris par inferant periculum. Atrocia, quae sequuntur ex suppressione et turbatione lochiorum, efficiunt tam multos morbos primarios totidemque secundarios, ut peritonitidem, metridem, febrem puerperarum, in quibus saepius, quam quis credat, causam tam multorum saepe per totam vitam durantium malorum, praecipue indurationis, quaerere licet. Nec minora mala nimia et vi extorta lactis secretio contrahit. Quae continuo sequuntur, sunt mala conditio et inopia sanguinis, sustentationis defectio aliaque multa. Idem est de profusis menstruis.

Status praesens. Die undecimo ante Cal. Julias in regium puerperarum institutum auxilium petitum venit, tertium ventrem ferens, comitante medico Dr. *Zimmermanno*, qui mulieris historiam nobiscum communicavit. Mulierem, facie leucophlegmatica, malis flaccidis, oculis latentibus, macie tenuatam valde languidam cognovimus. Inde a festo nati Christi gravidam se esse et a festo Paschali primum foetus motum se sensisse dixit. Sanguinis profluvia finem fecerant, primis tantum mensibus redierant interdum, sed inde a mense Aprili cesserant. Contra ea ingentibus regionem sacralem perstringentibus doloribus, torminibus, quae per sinistrum pedem descenderunt, affecta est; quod hac muliere irritabili, sanguinis egena facile explices dicendo, utero gravido prope jacentes nervorum plexus pressos esse. Simul adfuit paralysis vesicae urinariae

indeque incontinentia urinae, nec non febrim lentam cognoveras.

Disquisitio. Omnia, uterum male esse mutatum, indixerunt; et priusquam cognosceres, facile putabas, hunc morbum esse scirrhum vel carcinoma uteri. Quae medicus eam curans exquisiverat dixeratque, hanc opinionem probaverunt.

Mammae non valde turguerunt, quod hoc morbo non bene fit, quibus pressis humor serosus lacteus effluxit. Ceterum neque indurationes in iis observabas; nec glandulae axillares turguerunt. Ventre extenso umbilicus plane erugatus fuit, uteri fundum contrectando observabas ad dextram supra umbilicum esse ibique pedes foetus, acuteque quum contrectares, fluctuationem animadvertebas. Non dubium itaque, quin mulier gravida esset. Et hic quidem casus fuit, quo exploratio externa multo gravioris momenti quam interna esset. Omnino, ubi portio vaginalis, vel prope sitae partes morbo ita degeneratae sunt, ut in iis nil certe cognoscas, inquisitio externa certiores nos reddit quam interna; imo ea sola nos dijudicantes, utrum mulier gravida sit, an non, ducat, opus est.

Inquisitio interna morbum ipsum nos edocuit. Vagina massis, brassicam imitatis, scirrhosis omnino expleta fuit; initium capientibus post arcum ossium pubis, porrectisque ad aperturam inferiorem, nec solum partis vaginalis, sed tota vagina degenerata fuit. Uteri oris nil contrectando animadvertebas, solum ad partem aversam dextramque paulo mollis locus fuit, de quo tamen nil certe diceres. Hac saeva degeneratione de praevia foetus parte sermo nullus esse potuit. Ceterum scirrhum, ut qui glandulosus esset, in carcinoma transire vidimus. Curatio hucusque simplex, lenimentum unicum *opium* erat,

quod eo melius adhibi poterat, quum nullam omnino obstructionem efficeret.

Prognosin, res cum ita se habeant, pessimam esse constat. Scirrhus in hunc gradum progressus graviditasque ad malum exitum facta conjunctio. Per tempus graviditatis quidem ducet vitam aerumnosam, quippe illa praevaleat et morbum retineat quasi, quia tum virium reproductivarum systema irritetur, omniaque ad nutriendum foetum impendat mater, necesse sit. Post partum eo celerius ad mortem grassatur; quae statim post partum, aut inter paturiendum, praecipue haemorrhagia lethali ex insertionis loco placentae, cum uterus contrahi nequeat, fato succumbere potest. Siquidem nunc summum scirrhi gradum contemplemur, ubi ne orificium uteri quidem contrectando animadvertis et quam difficilem hoc partum reddat et consideremus, naturam sibi viam parare non posse omnibus clausis, parturientem omnes exhausuram vires, acutis instrumentis armata manu, tantum medicum obstetricium aperturum viam: — non possumus, miseram fato infelici occubituram, non dicere. Huc accedit incisionem perdifficilem esse, cum nil adsit, quo certe ducatur, exceptis illis faustioribus casibus, quibus quae orificii uteri reliqua sint, incisionem direxerint, aut id ipsum incisum sit. Quidquid erit, quod nominant „Accouchemont forcé", adhibendum erit, cum solito ita se res gerat, ut metuas, ne parturiens morti prius succumbat, quam enixa sit partum.

Haec tunc praedicta sunt. Omnibus remediis rejectis excepto *opio*, requies summa leviaque nutrientia praescripta sunt.

Nunc quidem a medico ejus doctissimo Dr. *Zimmermanno,* simul cum medico primario instituti Dr. *Ed. de Siebold* curata est. In dies se pejus habuit, doloribus vehementissimis miseram cruciantibus, praecipue noctu, copiose tantum datum *opium* lenimentum afferre potuit. Saepissime dolores ejusmodi erant, ut anxie medicum arcesseret, putans, tempus, quo pareret, adesse; verum tamen hi dolores mitigati sunt, ut renovata vehementia redirent. Suppliciter saepe oravit medicum, ut se liberaret a

doloribus saevissimis, atque nil retineat eum quin operationem faceret; at ille constanter speravit, fore, ut natura benigna aperiat viam ad excludendum partum aptam. Demum oedema universale, praecipue femorum, labiorum pudendorum, abdominisque accessit. Integumenta abdominis externa ita tumuerunt, ut nunc per ea et ne minimam quidem partem foetus attrectando animadverti liceret, quod prius facillimum esset.

Die III. A. J. Augusti mane, desideratum cum timore tempus venisse visum est. Dolores perseverantes ipsa pro veris habuit. Arcessitus medicus Dr. *Ed. de Siebold* cum medico secundario, viro doctissimo *Waldow* persuasum sibi habuit, partui tempus adesse. Ad summum gaudium ad dextram superiorem partem, orificium uteri ad magnitudinem numi quatuor grossorum apertum invenit, per quod velamenta ovi perrumperent. Quod tamen summum, ad quod orificium uteri extendi posset; ad sinistram enim digito degenerationes scirrhosae obviae jacuere, et ad dextram tantum partes molles.

Accouchement forcé adhibendum visum est. Incipiendum fuit a dilatatione orificii arte facta, et quidem instrumentis acutis. Omnia parata sunt instrumenta ad operationem perficiendam; uti: forfex *Osiandri*, qua usus est ad resecandas excrescentias, culter *Savygnianus*, forceps, omnia stiptica remediaque restaurantia.

Aegra talem habuit situm, ut pelvis cetero corpore altior esset, operator sedit flexis genibus duosque digitos manus sinistrae ad orificium introduxit, qui cultro certi essent ductores, persecuit ad inferiorem sinistramque partem degenerationes scirrhosas, animadvertens illum stridorem, quem dat percisio cartilaginis. Ne guttula quidem sanguinis effluxit. Cum autem cultro perdurae illae massae perscindi nequirent, forfice incisio facta est ad superiorem sinistramque atque demum ad dextram superiorem partem. Ad hanc tertiam incisionem sanguis effluxit, quo, degenerationem nondum eo processisse, apertum datum est; quod attrectando quidem animadversum est. Simul velamentis ruptis aqua de-

fluxit et praevium caput foetus pertractando deprehensum est; ita, ut frons ad anteriorem sinistram, fontanella major post atque super symphysin ossium pubis, minor vero ad symphysin sacro-iliacam dextram sitae essent. Summa difficultas manui sinistrae, in cavum uteri penetranti, opposita erat, cum ad sinistram imprimis durities, gibbi alieni late seorsum protensi essent. Aegre eo ventum est, ut caput ad dextram, qua uterus tanto degeneratus non esset, deferretur; quo demum facto pes sinister apprehendi detrahique potuit. Laqueo in eo applicato, iterumque manu introducta, ut pes alter caperetur, opera data est, reposita manu, quae cum funiculo umbilicali prolabens immineret. Hoc quoque difficillimum fuit, scirrhosis partibus spatio adeo angustato. Attamen demum contigit, eum in vaginam protrahere atque sinistro pede per laqueum tracto situm foetus mutare. Nunc parum operae fuit alterum quoque pedem protrahendi ex externis genitalibus, ut simul apprehenderentur. Quo facto, totius partus explicatio, brachiis lege artis solutis, ad caput usque bene convenit. At capite novae allatae sunt difficultates. Hoc rerum statu magnum paravit gaudium immaturitas foetus, qua id effectum est, ut caput, quod rationem haberet corporis partu jam editi, facile extrahendum fuisset, nisi jam conditio flaccida foetus, ossium capitis atque epidermidis dissolutio, color malus funiculi umbilicalis, imo universus matris morbus, mortem foetus indixissent. Interea demum caput extrahere contigit, quo foetus ad lumen prolatus fuit. Uterum masculini an foeminini esset generis, parum liquit. Jam dudum vita exierat finemque septimi mensis assecutus. Cum secundinae paulo post non sponte sequi viderentur, nec minimi dolores ad uterum contrahendum apparerent, lege artis remotae sunt. Ad sinistram anteriorem, supra ramum horizontalem sinistrum ossis pubis insertae digitis, facile separatae fuerunt nullisque affectibus extractae. Sic demum partui adfuit finis, qui tam immensas difficultates praebuerat.

Mirum est, quod nec inter, nec post partum

haemorrhagia apparuerit, excepta ea, quae ultima incisione effecta. Quo indicitur, quanto processerit scirrhus, ad illam speciem pertinere, quam supra §. VIII. memoravi, scil. glandulosum fuisse. Fungus haemathodes multo aliam atque adeo lethalem haemorrhagiam produxisset.

Statim post partum patiens se habuit fatigatam, debilem, de doloribus singularibus non conquesta est. Pulsus parvus, debilis, frequens, nulla pars corporis frigebat, vultus manavit sudore. Ad recreandas vires paululum vini oblatum ei, scutella juris carnium. Mox autem quaesta est de siti non exstinguenda; magis magisque vires evanuerunt, pulsus parvus minorque factus est, quartaque post partum hora diem obiit supremum.

Prognosis nostra ergo probata est denuoque stabilitum, graviditas ejusmodi morbi decursum etsi retinere possit, tamen post partum eo celerius in mortem iri. Causam hujus mortis, universam debilitatem accusandam esse liquet, haemorrhagiae enim nil cognoscebas.

Sectione instituta saevissimas scirrhositates, quibus ipsa vesica urinaria, et intestinum rectum arrepta sint, vidimus. Uterus non colorem rubrum caeruleumve prae se tulit, sed tam album, quasi ne guttula quidem sanguinis ei infuisset; omnia maximam sanguinis inopiam indixere, contractus paululum in regione umbilicali situs fuit. In cavo uteri sanguinis aliquid adfuit, scil. loco insertionis placentae, verumtamen de haemorrhagia interna sermo esse non potuit. Ceterum uterus densus, nec laxus extensusve. Caetera intestina integra fuerunt, excepto liene admodum parvo et dissoluto. —

CURRICULUM VITAE

EX

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS DECRETO ADJECTUM.

Ego *Bertramus Zeppenfeld*, Recklinghusii Guestphalorum, confessioni catholicae addictus, natus sum anno MDCCCIII die XXVII Septembris, patre *Joanne Zeppenfeld*, quem dudum jam defunctum lugeo, et matre *Elisabetha*, e gente *Genius*, qua adhuc gaudeo dilectissima.

Progymnasium urbis patriae frequentavi, cura virorum spectatissimorum in scientiarum primordiis, quae ibidem tractari solent, eruditus, anno MDCCCXXI die XVIII Octobris in gymnasium Monasteriense profectus, in classem secundam receptus sum. Duobus post annis examine feliciter superato, testimonioque maturitatis Nr. II. mihi attributo, almam litterarum universitatem petii Rhenanam: ibique t. t. Rectore magnifico Cel. *Augusti*. Anno MDCCCXXIII die XVIII Octobr. numero civium academicorum adscriptus, nomenque Cel. *Nasse* t. t. medicorum ordinis Decano professus sum.

Exinde Professorum philosophici medicorumque ordinis celeberrimorum praelectiones frequentavi has:

Ex ordine Philosophorum: Logicam Cel. *van Kalker;* Psychologiam Cel. Dr. *Elvenich*; Physicen experimentalem Cel. *a Münchow*; Chemiam experimentalem Cel. *G. Bischoff*; Botanicen generalem Cel. *Nees ab Esenbeck* sen.; pharmaceuticam *Nees ab Esenbeck* jun.; Zoologiam et Mineralogiam Cel. Prof. *Goldfuſs*.

Ex ordine Medicorum: Osteologiam et Syndesmologiam hominis et comparatam Cel. Prof. *Weber*; Ana-

tomiam generalem et specialem, nec non comparatam systematis nervorum hominis et animalium, Physiologiam Cel. Prof. *Mayer*; in arte cadaveris dissecandi duces mihi fuerunt *Mayer* et *Weber*. Pathologiam generalem mihi tradidit Cel. Prof. *Ennemoser*: Pathologiam et Therapiam morborum acutorum Cel. Prof. *Harleſs*; Pathologiam et Therapiam generalem et specialem morborum acutorum et chronicorum Cel. Prof. *Nasse*. — De Pathologia et Therapia morborum chirurgicorum, de morbis oculorum, de Akiurgia, fracturis et luxationibus ossium, de fasciarum et deligationum usu Cel. Prof. *a Walther* audivi. Pharmacologiam artemque formulas concinnandi Cel. Prof. *E. Bischaff* me edocuit.

In exercitationibus pathologicis per annum unum, annumque dimidium in therapeuticis Cel. Prof. *Nasse*; in chirurgicis per annum unum Cel. *a Walther* moderatores mihi erant.

In arte obstetricia theoretica per annum dimidium, perque annum dimidium in practica instructus sum a Cel. Prof. *Stein*.

Bonna relicta ob mortem patris carissimi res familiares interruperunt cursum academicum. Quibus vero remotis ad almam literarum universitatem Berolini me contuli, ibique de Anatomia pathologica audivi Cel. Prof. *Rudolphi*; nec non iterum in exercitationibus chirurgicis Cel. Prof. *Rust*; in medicis Cel. *C. Neumann* moderatores habui, eoque directore hospitium insanorum frequentavi simulque eum de morbis psychicis audivi. Artem obstetriciam practicam Directore Cel. *El. de Siebold*, quo vero defuncto, dignissimo ejus filio Dr. *Ed. de Siebold* continuavi.

Omnibus his viris doctissimis atque Celeberrimis quam maximas ago gratias, eorumque in me bene merita pia grataque mente venerari nunquam desinam.

Tentamine philosophico medicoque et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero, fore ut summi in Medicina et Chirurgia honores mihi concedantur. —

THESES DEFENDENDAE.

I.

Causa primaria febris in irritatione cordis et arteriarum posita est.

II.

Non quivis scirrhus aut carcinoma extirpando sanetur licet.

III.

Fonticulus optime reditum cancri prohibet.

IV.

Nullum certum mortis signum nisi putredo.

Ab uno pare hominum originem nos ducere posse, nego.

VI.

Arthritis et Rheumatismus immensum est, quantum distent.